






1596, 2

12



ΣΥΝ ΘΕΩ

DISPUTATIONVM PHYSIOLOGICARVM SEXTA.

DE CALIDO IN-
NATO ET SPIRITIBVS.

Quam

D. T. E. V. A.

In DIVA IVLIA die 14. Decembris.
hora & loco consuetis

Præfide

VIRO CLARISSIMO
DN. CORNELIO BOKELIO,
Philosophiæ & Medicinæ
Doctore:

tuebitur

BALDASSAR CARISIVS Beutha-
niensis Silesius.

HELMÆSTADII.

Excudebat Iacobus Lucius, Ann. 96.





DE CALIDO INNATO ET SPIRITIBVS.

Thema primum.



Ria secundum Hippocratem sunt corpus nostrum dum viuit constituentia: quorum duo priora etiam in demortuo spectantur tertium in solo viuente consideratur, ijs absolutis, de tertio iam agemus.

II.

Tertium verò hoc Hippoc. *ὄρμωνα* impetum facientia nominat; qua denominatione interdum spiritus soli, interdum his iunctum calidum innatum dictum intelligi volunt. Nos propter ipsorum tum naturæ, tum substantiæ tum generationis similitudinem, vna, eademque disputatione de ijs agemus.

III.

De calido itaq; innato primò loco differentes comperimus, hoc ipsum varias tam à Philosophis quam Medicis denominationes sortitum esse. Nos omissis reliquis, eas saltem quæ ad explicationem tum ortus tum naturæ eius necessariæ videbuntur excutiemus.

IV.

Græci calidum hoc *ἰσχυρὸν ἐμφυτὸν* id est innatum dicunt *σὺμφυτὸν* connatum, *οἰκειὸν*, proprium, & *ἀρχήγονον* primigenium quod à primo ortu nobis ingenitum sit.

V.

Latinorum alij ipsum calorem naturalem dicunt, quod videlicet omnium naturalium actionum mediantibus facultatibus præcipua causa existat; nunquam qualitate sua naturæ modum aut limites excedens.

A 2

Rur-

VI.

Rursus alij illud spiritum implantatum vocant, non quod ita planè implantatus, aut infixus à natura partibus inhæreat, vt nunquam ab ipsis diuelli, minui aut consumi possit: (sic enim ad immortalitatem corpus perduceretur:) sed quod partem cui inhæret ad vitam vsq; foueat & sustentet.

VII.

Alij illud ipsum naturam, alij temperamentum ob similes eorum in corpore animato actiones appellant, cum præcipua qualitas temperamenti quæ in mixto dominatur, calida sit.

VIII.

Animam qui appellant, si cum ea ipsas agendi facultates intelligant, cum scilicet absque subiecto certe esse nequeant, non male eos dixisse arbitror.

IX.

Calidum itaq; innatum definitur essentia partim aërea, partim ignea, ex semine & sanguine menstruo in prima conformatione cuiq; animantis parti indita, ad certas actiones & vsus pro animæ, eiusq; spirituum gubernatione ad mortem vsque obeundas.

X.

Causa eius efficiens alia est externa, alia interna.

XI.

Externa, ea que vel remota vel propinqua.

XII.

Remotam & extra artem Medicam quodammodo positam, statuimus primò summum omnium rerum productorem & opificem ipsum DEVM: secundo cœlum & in hoc corpora cœlestia, in primis Solem calore & motu suo in corporibus generandis vim maximam obtinere.

XIII.

Propinqua, sunt sex res non naturales dictæ, vt aër, cibus &

bus & potus, somnus repletio & euacuatio, motus & quies, somn^o & vigilia, accidentia seu mot^o animi moderatè vsurpata & adhibitæ: item exterius admotæ res, vt infantes teneri, pelles animalium maxime felium syluestrium, & cælli parui.

XIV.

Interna eius causa efficiens prima est procreans quæ tum ab vniuersali primum agente, animæ scilicet generatricis facultate, tum ab insito cuiusq; partis calore dependet.

XV.

Conseruans eum & fouens est tum sanguis, tum calor ex corde quotidie influens, in primis verò humidum illud primigenium & radicale, quo tanquam pabulo semper alitur & reficitur.

XVI.

De causa eius materiali iterum tum Philosophi tum Medici variant, alij cœlestem & ætheream planè, alij verò elementarem, elementisque sua natura proportionatam contendunt.

XVII.

Æthereum calidum hoc qui constituunt, nisi virtute & analogia cœlesti correspondente id ipsum fieri, & formaliter intelligant, non video quo iure ipsi id defendere, aut ab alijs ipsis concedi possit.

XVIII.

Cœleste enim si foret nullo alimento indigeret, verùm elementari materia seu alimento cum cottidie nutriatur & conseruetur, & ipsum elementare, veluti effectum naturam suæ causæ vel originis retinens, existere omninò necesse est.

XIX.

De hac ipsa elementari materia vicissim quænam verè ea sit inter Medicos controuertitur, & Galenus ipse hac in parte admodum confusus, sibiq; inconstans videtur.

XX.

Libro enim aduersus Lycum cap. 9. modo sanguinem,

A 3

modo

modo semē, modo spiritum (l. 5. de simpl. med. fac.) appellat:
aliās ex sanguine (Gal. l. 6. de v. p.) & pituita, aliās ex semi-
ne & sanguine vel puro vel menstruo eam constare dicit.

XXI.

Quæ etsi maximè inter se pugnare videntur iusta tamen
adhibita distinctione & locorum interpretatione, facilè
hæc conciliari & conuenire posse videbimus.

XXII.

Sanguis enim etiam maximè sincerus semper aliquid
reliquorum humorum admixtum habet qui quodammodo
materiam eius generandi suppeditare possunt:

XXIII.

Ex spiritu constare quod dicit ex maxima tum feminis
tum sanguinis aërea & spirituosa substantia intelligit.

XXIV.

Concludimus itaque ex Galeno ipso materialem eius
causam esse tum feminis tum sanguinis in primis menstrui
portionem puriorem,

XXV.

Formalem eius causam, ipsius essentiam temperatam
siue cum Galeno temperamentum ipsum dicimus.

XXVI.

Finis eius est, ipsa eius operatio quæ in conseruatione
tum totius tum partium ad vitam vsque consistit. hoc enim
extincto & consumpto animal perire necesse est.

XXVII.

Subiectum eius ratione primæ conformationis nostræ
est tum semen tum sanguis menstruus, corporum genito-
rum ratione tum singulæ eius partes, tum humidum illud
primigenium seu radicale, tum ipsi spiritus.

XXVIII.

Proprium eius est secundum ætates variare & diminui,
plus

plus siquidem eiusdem corporibus ortui propioribus vt infantibus, minus adolescentibus, omnium minimum senibus tanquam ab ortu remotissimis inest.

XXIX.

Huic opponitur calor aduentitius, qui vel exterius in corpus intromittitur, vel intra corpus ex corde per arterias in singulas corporis partes influit, qui si qualitate vel quantitate modum excedit, præternaturalis redditur & morbos inducit.

XXX.

Maximam cum calido innato cognitionem spiritus obtinent, cum ex eadem propemodum materia ortum habeant & ad eosdem usus destinati videantur.

XXXI.

Plures horum apud authores denominationes inveniuntur, cum modò pro aëre qui spiratione attrahitur: modò pro spiratione tota, modo deniq; pro corporis nostri substantia tenuissima, quas omnes explicare superuacaneum ducimus.

XXXII.

Definiuntur itaque spiritus esse corpora magis ignea quam aëria ex feminis & sanguinis portione purissima ad certas functiones in animantis corpore obeundas calore secundum naturam, aut præter naturam ad corpus destruendum producta.

XXXIII.

Suntque duplices, naturales & præternaturales.

XXXIV.

Spiritus naturales dicuntur, qui certa & legitima naturæ intentione geniti, finemque ad quem conditi consequuntur.

XXXV.

Præternaturales, qui vel naturæ operatione legitima impedita, vel aliàs vitiosè agente geniti sunt, aut alias corrupti

rupti naturæ limites excedentes destruunt aut saltem læ-
dunt.

XXXVI.

Spirituum naturalium tres sunt species, animalis, vita-
lis naturalis propriè sic dictus origine & sedibusque suis di-
stincti.

XXXVII.

Naturalis Græcis *Φυτικός* dictus vaporì quodammodo
similis, in hepate ex sanguinis parte puriore gignitur, inde
per venas in vniuersas corporis particulas transfuehitur,
easque fouet & reficit.

XXXVIII.

Vitalis spiritus Græcis *Ζωτικός* dictus ex prædicto spiri-
tu naturali per venam cauam in cor delato, in sinistro eius
ventriculo gignitur & elaboratur: indè per arterias in vni-
uersas corporis partes distributus eis vitam communicat
& impertit.

XXXIX.

Hic tandem spiritus ex corde in cerebrum delatus ab eo
purior & lucidior redditur, inque ventriculis eius elabora-
tus & animalis redditus, inde per neruos in certas corporis
partes defertur, quibus sensum & motum communicat.

XL.

Causæ horum spirituum tum efficientes tum materiales
eodem ferè sunt, quas caloris natiui fuisse diximus. Neque
enim diuini quicquam hic agnoscimus, cum & ipsi elemen-
tari materia constent & conferuentur.

XLI.

Subiecta eorum & vsus præcipuos generationibus ipso-
rum assignauimus, ex quibus proprius cuiusque & specialis
vsus facilè intelligi potest.

F I N I S.

ULB Halle
003 338 150


3



TA-OL

VD 77








1596 2

12



ΣΥΝ ΘΕΩ
ΔΙΣΠΥΤΑΤΙΟΝΥΜ ΦΥΣΙΟ
ΛΟΓΙΚΑΡΥΜ ΣΕΧΤΑ.

DE CALIDO IN-
NATO ET SPIRITIBVS.

Quam
D. T. E. V. A.
In DIVA IVLIA die 14. Decembris.
hora & loco consuetis

Præside
VIRO CLARISSIMO
DN. CORNELIO BOKELIO,
Philosophiæ & Medicinæ
Doctore:

iuebitur
BALDASSAR CARISIUS Beutha-
niensis Silesius.

HELMÆSTADII.
Excudebat Iacobus Lucius, Ann. 96.

